

divit in particulari, non proponitur testificatio divina circa aliquod objectum in particulari, sed solum proponitur lex ut acceptetur sub motivo alicujus magni præmii. Et ratio hujus est, quia tunc proponitur primum initium fidei, quod est motivum pii affectus ad credulitatem : præcedit enim pia affectio fidem, et piam affectionem propositio ex parte intellectus, non utique credendo, et assentiendo : sic enim ante piam affectionem esset fides, sed proponendo aliqua per modum boni repromissi, ut inquit S. Thomas xiv de verit. art. ii ad x, et hoc adhuc in illo primo instanti non proponitur ut testificatum a Deo, et sub motivo fidei determinate, et explicite, sed valde implicite, et sub ratione alicujus præmii vel magni boni. Unde qui tunc non acceptat legem, etiam sub illo motivo nondum resistit propositioni rerum fidei, sed quasi inductivo ad pium affectum credulitatis sub quadam implicita ratione. Et sic ex nota acceptatione talis motivi, et implicitæ propositionis fidei non sub motivo testificationis divinæ, sed sub ratione cujusdam magni præmii, aut alterius similis rationis, non committitur infidelitatis culpa. Similiter qui illuminatur a Deo, et justificatur, non est ex eo quod operatur ex viribus naturæ tantum, sed quia ex auxilio supernaturali requisito ad acceptationem totius legis, saltem implicite; quod si acceptetur proponetur ei explicite materia ad salutem necessaria, et justificabitur.

XLII. Ad secundum respondetur, quod damnati carent auxilio sufficienti affectivo, et quod tenet se ex parte voluntatis, aut quod in illam influere potest, eamque afficere, et convertere, non tamen carent auxilio sufficienti ex parte intellectus, et speculationis : dæmones enim credunt, et contremiscunt. Et sic

habent sufficientem notitiam ad peccandum : nec enim damnati ignorant legem naturalem, præsertim dæmones, multi etiam retinent memoriam rerum fidei, etsi sine fide. At vero viatores in hoc differunt a damnatis, quod recipiunt ad bene operandum auxilium sufficienti non solum pure speculativum sed etiam affectivum, et influxivum in voluntatem, id est, de se potens stimulare, et excitare voluntatem, quia sunt in statu convertendi se ad Deum, licet aliqui tanta obdurate aut ignavia recipiant hoc auxilium, ut non relinquunt locum dari sibi adjutorium, et vires in voluntate. Peccant ergo et damnati, et obdurati in hac vita, licet isti possunt converti ex vi auxilii, non illi, quia licet cognoscitivum habeant auxilium damnati, sed non affectivum.

XLIII. Ad replicam quod sequitur ex hac conclusione contradicte ad primam, respondetur nullam contradictionem esse, quia prima conclusio de denegatione medii ad salutem consequendam procedit in casu quo negatur aliquid quod est necessarium ut medium, et non ut præceptum, seu non ratione præcepti, secunda vero procedit e converso : sicut, v. g. baptismus in parvulo requiritur necessitate medii, et non necessitate præcepti respectu ipsius parvuli; similiter in adulto peccatore, qui amittit usum rationis irrecuperabiliter, requiritur ad justificationem necessitate medii gratia, et pœnitentia, sed pro tunc jam non currit præceptum de pœnitentia respectu illius, quia est incapax ratione status. Et fides requiritur necessitate medii ad justificationem in adulto; et tamen si non audit aliquid de fide Christi, non obligat præceptum; et tamen cum non crediderit condemnabitur. Itaque auxilium sufficienti quod pertinet

ARTICULUS IV.

Quid de immutabilitate reprobationis, et prædestinationis, et numero eorum?

I. Certitudo alicujus providentiæ, qualis est prædestinatio, vel reprobatio, et immutabilitas, potest esse vel præscientiæ solum sine causalitate, et antecedentia erga objectum, sicut nos possumus esse certi, etiam de illis quæ non causamus, nec facimus, sed tamen certa notitia videmus ut cælum, et elementa; vel potest esse certitudo præscientiæ, et causalitatis simul, quia videlicet ipsa causalitas modo infallibili operatur, et super talem causalitatem fundatur præscientia, eo quod tunc præscientia est de re causanda ab ipsamet providentia. Et talis certitudo dicitur prædefinitionis, et causalitatis, quia ex determinatione voluntatis divinæ tamquam ex causa oritur determinatio, et certitudo objecti provisi et prævisi.

II. Igitur Massilienses inter alios errores etiam istum docebant, quod non erat certus numerus prædestinatorum, sed poterat augeri vel minui, eo quod nullum donum Dei etiam perseverantiæ existimabant esse tale, quod non posset nostra voluntate frustrari, et de facto aliquando frustraretur. Constat hoc ex epistolis Prosperi, et Hilarii ad S. Augustinum ante librum de prædestinatione sanctorum, in quo manifeste errabant, tum in ipsa conclusione, tum in fundamento. In conclusione, quia adversatur expresse Scripturæ, II ad Timoth. II : *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus qui sunt ejus* : item electi dicuntur habere sua nomina scripta in libro vitæ, ad Philip. IV : *Quorum nomina sunt in libro vitæ* : et iterum

præcise ad rationem medii ad salutem, denegatur aliquando sive parvulis, sive adultis sine nova culpa. Auxilium vero sufficienti ad implenda præcepta non denegatur alicui, currente, seu stante præcepto. Sed aliquando non currente, aut non obligante præcepto potest negari id quod pertinet ad medium consequendæ salutis, ut in casibus allatis tam pro parvulis, quam pro adultis. Et quando dicitur quod qui potest implere omnia mandata, et ad id habet auxilium sufficienti, potest ingredi ad vitam, et salvari, dico quod id intelligitur de eo qui potest implere omnia mandata, currente, et obligante præcepto, quia tunc etiam in talibus præceptis includuntur omnia media requisita ad salutem, quia hæc etiam sunt in præcepto, quando homo est in statu possibilitatis adimplendi. Sed per accidens potest aliquis poni in statu impossibilitatis adimplendi præcepta, et adhibendi media, et tunc si est in peccato, perit sine remedio, ut in casibus allatis. Neque ista sufficientia media negantur magis obduratis, et conceduntur minus obduratis, sed Deus cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Unde Pharaoni concessum est auxilium sufficienti ad implenda præcepta Dei, quia erat in statu possibilitatis adimplendi illa. Et generales locutiones Scripturæ, quæ etiam quoscumque obduratos ad pœnitentiam vocat, et eos peccare si non convertantur, et thesaurizare iram significat clare loquuntur de obduratis in statu possibilitatis proximæ, et currente obligatione præcepti, non si per accidens in aliquo casu præceptum non currat, et tamen medium necessarium non concedatur, ut in casu amissionis usus rationis in peccatore, aut non auditionis, et notitiæ denegatæ de rebus fidei ad credendum.

Dominus ad Apostolos suos, Luc. x : *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis* : ubi autem sunt omnia nomina scripta, certitudo habetur manifesta, nec potest ibi aliquid de novo scribi, quia ab æterno scripta sunt illa omnia. Unde et pro certitudine ista commendanda dicitur Lucæ xii quod : *Omnes capilli nostri numerati sunt* : et Augustinus libro de correptione et gratia, c. xii, dicit : « Certus est numerus prædestinatorum ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis. » Et de bono perseverantiæ, c. xiv : « Prædestinatio est præscientia, et præparatio, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. » Certe cum hæc prædestinatio Dei æterna sit (si quidem elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ad Ephes. i.) ergo et immutabilis est : ergo cum per illam comprehendat omnes prædestinatos, quia ad omnes se extendit ejus providentia, et præscientia, utique immutabiliter eos tenet apud se, licet ipsi in tempore, quo versantur, mutabiliter sint in se, sicut et aliæ creaturæ contingentes. Unde patet ignorantiam aliquorum esse vehementem, qui ex hac immutabilitate prædestinationis in quamdam desperationem aut socordiam impelluntur, quia si jam, inquit, sum prædestinatus, aut reprobus, sic ero quidquid me cruciem. Stultissima cogitatio : idem enim possent dicere de quacumque re, quæ in hoc mundo contingenter accidit, ut quod fructus terræ abundanter nascantur vel destruantur, quod hoc animal nunc moriatur vel vivat, moveatur vel quiescat, et quæcumque alia accidunt in hoc mundo, omnia ab æterno, et immutabiliter sunt præordinata a Deo : ergo non debemus curare, quia sic accident; stulta consequentia; cum hoc ipsum quod est nos curare vel relinquere, provi-

sum et prævisum sit ab æterno, et per hæc media accidunt res vel non accidunt; media autem illa etiam provisa a Deo sunt. Sed hæc cogitatio infirmarum mentium est, quia non cogitatur quod Deus est æternus, sed effectus ejus sunt temporales; et sic bene stat quod providentia, et præscientia ejus de rebus est æterna, atque adeo immutabilis, sed omnes effectus provisi sint in se mutabiles, et temporales; et hæc tota mutabilitas apud Deum immutabiliter, et æternaliter videtur, et providetur. Nec etiam Deus providit aut prævidit quod infallibiliter hæc fiant absolute, et nullo habito respectu, sed per talia media, et tali vel tali modo, quia et modus, et media a Deo sunt; et ideo est infallibilis illa providentia, quia universalis, et dat omnia, non quia tollit nostram contingentiam. Unde si me cruciem, et operer, sicut Deus jubet, consequar salutem, quia sic prædestinatur, et providetur a Deo ab æterno, ut hoc faciam. Quod si lædit immutabilitas prædestinationis mutabilitatem nostram : ergo dicent quod Deum esse æternum lædit temporalitatem, et mutabilitatem creaturarum. Quid stultius?

III. In fundamento autem suo pejus errabant Massilienses, quia ideo prædestinatorum numerum dicebant certum non esse, ne locum apud infideles, et negligentes cohortantium incitamenta non habeant : ita enim posset unusquisque ad correctionem aut ad profectum vocari, si se sciat sua diligentia bonum esse posse, ut refert Prosper ubi supra. Quod est plane evacuare gratiam Dei, quasi nos ex nobis, seu ex nostra diligentia, et viribus boni esse possimus, et adhortationibus sanctis acquiescere, et non ex gratia Dei, cum Ecclesiastes vii scriptum sit : *Considera quod nemo potest corrigere, quem ille des-*

pexerit, quod et lætissime multis Scripturæ auctoritaribus Augustinus probat toto libro de correptione et gratia.

IV. Jam vero supposita catholica fide de certitudine, et immutabilitate prædestinatorum, et reproborum restabat difficultas, an certitudo ista, et infallibilitas cum sit infallibilitas cujusdam decreti, et providentiæ divinæ sumatur in vi causalitatis, et efficaciam intrinsecam ipsius decreti ad causandum vel permitendum ea, quæ per talè decretum attingit, et ordinat, an in vi solius præscientiæ, quia videlicet Deus ante omnem efficaciam, et causalitatem decreti sui præsciat perscientiam mediam id quod factura est libera voluntas, et tunc supposita ista præscientia decernat illud ipsum facere quod præsevit, et sic tale decretum sit efficax, et certum ut innixum illi præscientiæ. Sed de hoc latissime egimus supra disput. iii et v et vii. Nec est aliquid quod addamus in præsentem.

V. Eodem modo cognoscitur conciliatio libertatis nostræ cum certitudine, et efficacia prædestinationis : nec enim indiget aliquo conciliante per prævisionem ejus quod libertas nostra factura est, sed ipsamet efficacia divina, quæ sua universalissima ratione, et causalitate non solum habet esse principium, et causare substantiam actus nostri, sed etiam modum, indifferentiamque libertatis ut supra disp. v et vii, satis superque ex D. Augustino et Thoma tradidimus. Unde cum sit radix, et principium etiam libertatis ipsius actus, non tollit libertatem, sed dat, ut prædictis locis late docuimus.

VI. Quæres : Cur ergo in reprobatione dicuntur reprobi præsciti, et sola præscientia ibi operatur, si decretum, et providentia reprobativa

est ex sua natura ab intrinseco efficax?

Respondetur quod in reprobatione, licet Deus decreto suo præparet, et inferat pœnam, non tamen præparat, vel disponit demerita quæ sunt peccata, nec illa causat aut prædefinit, sed tantum permittit. Et ideo, quia reprobatio respicit mala propter quæ infert damnationem, dicuntur reprobi solum præsciti, quia eorum demerita non causantur, sed præsciuntur; et sic non præparantur, sicut merita bonorum; istæ autem providentiæ, quia versantur circa media, maxime denominantur ab eo quod præparatur in illis, vel non præparatur, sed præscitur. Deus tamen permissionem ipsam decernit in reprobis, licet non ipsum peccatum. Videatur D. Thomas hic art. iii ad ii et q. vi de verit. art. i ad x et in i, dist. xli.

VII. De quantitate, seu numero electorum præ reprobis aliqui solliciti sunt, an sit major numerus prædestinatorum, quam reproborum. Quæ quidem difficultas, loquendo de hominibus (nam de Angelis majorem partem salvatam esse videtur certius) et facile solvitur in genere loquendo, quod ex toto hominum genere pauciores sunt qui salvantur : *Multi enim sunt vocati; pauci vero electi*, Matth. xx : et iterum Matth. vii : *Quam angusta porta et arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam* : et Angelus ad Esdram, iv Esdræ vii, (licet liber non sit canonicus) *Hoc sæculum fecit Deus propter multos, futurum propter paucos. Quomodo autem interrogabis terram, et dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis unde fiat fictile, parvum autem pulveris unde aurum fit, sic et actus præsentis sæculi. Multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur*. Constat tamen electos dici paucos non absolute, sed compara-

tive ad numerum reproborum. Nam absolute multos esse, ipsa Scriptura aperte docet Matth. viii: *Dico vobis, quod multi venient ab oriente, et occidente, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob*: et Apocalyp. vii: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus stantes ante thronum*: et deelectis intelligi illius psalmi cxlvi: *Qui numerat multitudinem stellarum*, docet Augustinus super prædictum psalmum: « Manifestum, inquit, est, fratres, aliquid velle Deum intelligere nos in eo quod ait: Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat, omnes secum regnatos, omnes aggregandos corpori Unigeniti sui. » Itaque hæc duo certa habemus ex Scripturis, scilicet plures esse ex hominibus qui damnantur, quam qui salvantur: prædestinatos etiam in se multos esse, sed respectu reproborum paucos. Quo sensu Scripturæ diversa testimonia conciliat Augustinus lib. iii contra Cresconium, cap. lxvi, tomo. vii.

VIII. Cæterum aliqui ulterius ad particularia descendunt, ut multitudinem electorum aliquo modo metiri possint. Et quidam comparant ad Angelos, videturque aliquibus, tot esse salvandos, quot Angeli ceciderunt, ut eorum ruinæ reparentur. Quidam tot esse salvandos, quod Angeli remanserunt, ut sint homines sicut Angeli in cælo, et: *Constituatur terminus populorum juxta numerum filiorum Dei*, Deuteron. xxxii, juxta versionem septuaginta. Alii tot esse salvandos quot Angeli sunt creati: nam etiamsi nulli Angeli cecidissent, homines salvarentur. Quas opiniones refert D. Thomas hic articulo septimo et nulli acquiescit, quia omnes dubio fundamento nituntur. Recentiores doctores relicta comparatione cum Angelis, de numero ipsorum hominum

inter se disputant, an ex ipsis fidelibus plures salventur quam damnentur: (nam includendo infideles, et hæreticos, totum genus humanum includitur, et sic plures sunt qui pereunt) et multi censent majorem partem damnari etiam ex his qui in Ecclesia sunt. Videatur Maldonatus in capite xxii Matth. versu xiv; Lyra, et interlinea ris citati a Vasquez super articulum septimum hujus quæstionis et Molina super eundem articulum Imo Cajetanus super caput xxiii Matth. exponens parabalam virginum, sentit ex his fidelibus qui profitentur vacare bonis operibus, et Deum ut sponsum expectant, dimidiam partem perdi. Alii in partem mitiorem propendent, et plures ex catholicis salvari putant, præsertim includendo parvulos, qui cum baptismo decedunt, de quo videri potest p. Suarez de prædestinatione lib. vi, c. iii, et Granados tract. xii, disp. vi qui plures citat, et Alarcon tract. iv, disp. vi, c. ii et Ruiz disput. lrv de prædestinatione, qui addit ex adultis fidelibus non plures salvari, inter hos autem plures feminas esse prædestinatas, quam viros.

IX. Sed: *Quis hominum scire potest consilium Dei, aut quis consiliarius ejus fuit?* ut ait Apostolus, præsertim in mysterio omnium secretissimo, et occultissimo. Accipiamus ergo sobriam S. Thomæ sententiam hic articulo septimo qui cum Ecclesia sentiens: « Melius, inquit, dicitur, quod soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus. » Certe quæstiones istas Dominus ipse amputavit, nec sollicitos de illarum solutione nos esse voluit, cum interroganti cuidam, Luc. xiii: *Domine si pauci sunt, qui salvantur?* respondit ipse Dominus: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non*

poterunt. Ecce quod ipsa veritatis responsio collimat, nempe noluit ipsi difficultati respondere, sed animo, et radici, unde plerumque talium quæstionum nascitur disputatio. Volumus enim solatium aliquod captare, et nostræ desidiæ aliquantum obsecundare, dum ex una parte videntes majorem partem fidelium non admodum asperam vitam ducere, et ex alia parte asserendo majorem partem fidelium salvari, aliqualem fiduciam capiamus, quod etsi negligentiores simus, nec admodum in nos severi, sed etsi aliquando consentiamus delectationibus sæculi frui, adhuc salvabimur, et pœnitentiæ locus dabitur. Dominus autem radices has præscindere cupiens, et omnem a nobis

excutere socordiam ac negligentiam, erexit oculos nostros ad difficultatem adipiscendæ salutis: *Contendite*, inquit, *intrare per angustam portam*: quasi dicat: Nolite solatium quærere pro vestra incuria, et desidia, cogitando quod plures salvantur, etiam mediocri cura, et studio, sed alacres estote, et valde solliciti ad contendendum intrare per angustam portam: *Quia multi quærent intrare, et non poterunt*, id est, quia etiam ex his qui non omnino torpescunt, et jacent in suis vitiis, sed etiam solliciti sunt, et quærent intrare in cælum, non poterunt. Ergo nihil de pluralitate electorum anxie in particulari quæramus, sed per electorum semitas ambulare solliciti simus.